


**ICONES SELECTÆ
HYMENOMYCETUM
NON DUM DELINEATORUM.**

VII.



COLLYBIA.

Stipes cartilagineus, vulgo radicatus. Pileus plus minus carnosus, e convexo planus, margine primo involutus. Lamellæ liberæ, adnexæ v. adnatæ, numquam decurrentes. Velum nullum.

CXIV. AGARICUS PLATYPHYLLUS v. REPENS FR.

(Pers.) Fr. Syst. Myc. I. p. 117 (ubi syn.). Monogr. I. p. 147. Weinm. Ross. p. 66. Berkl. Outl. Brit. Ag. gramocephalus. Bull. t. 594. var.

Diagn. Collybia pileo carnoso-membranaceo, explanato, obtuso, fibrilloso-virgato; stipite e farcto cavo, molli, æquali, striato, pallido; lamellis truncato-adnexis, perlatis, distantibus albis.

Ad ligna cariosa mucida Fagi etc., forma *repens* optime explicata sub libro Betulæ, ut etiam ad terram juxta trunco, per maximam Europæ partem.

Descr. Mycelium, si bene evolutum, insignius quam in ullo alio fungo, eoque radici- et loriformi, longissime repente, ramoso, anastomosante, villosa, albo, (quod *Rhizomorpha xylostroma* Ach.) optime distinctum. Stipes mollis, cute membranacea, qua ad Tricholomata revergit, at manifesta Collybiae species, 3—4 unc. longus, ½ unc. crassus, æqualis, fibrilloso-striatus, ceterum glaber, nudus l. obsolete apice pruinatus, albidus, basi breviter et præmorso-radicata. Pileus

carnoso-membranaceus, tenuis, udus aquosus, fragilis, mox explanatus, 3—4 unc. latus, obtusus, fibrilloso-virgatus, e fusco cinereoque albicans. Lamellæ oblique postice truncatae, leviter adnexæ, ¼ unc. et ultra latæ, distantes, molles, albæ. Odor haud notabilis.

Species summopere memorabilis, cum ulla alia vix comparanda; forma *repens* ut optime explicata pro typica censenda. Formam magis triviale, sine mycelio depinxit Bull. t. 594.

Ex hujus mycelio eductus sum *Himantias*, *Fibrillarias*, *Xylostromata*, plurima *Racodia*, *Athelias* et plura genera recentius distincta Cordeana v. c. *Cephalocladia* Summ. Veg. Scand. p. 493, 494 esse mycelia.

Icon nostra Tab. 61 speciosam *Ag. platypylli repens* formam exhibet.

CXV. AGARICUS SEMITALIS FR.

Fr. Syst. Myc. I. p. 117. Epicr. p. 82. Monogr. I. p. 146.

Diagn. Collybia pileo subcarnoso, e convexo plano, obtuso, glabro; stipite fibroso-farcto, fibrilloso-striato, præmorso, cute cartilagineo-membranacea; lamellis obtuse annulato-adfixis, distantibus, albis, dein et tactu nigricantimaculatis.

Ad terram graminosam juxta vias annis pluviosis sat frequens circa Upsaliam, ceterum admodum rarus, serotinus. Variat solitarius et cæspitosus.

Descr. Est inter fungos maxime versiformes, totus subcartilagineus, sat tenax, statura maxime varians, nunc elatior, nunc pusillus, inodus, lamellis facile recognitus. Stipes primo farctus, dein subcavus, elasticus, a basi subbulbosa vel præmorso-radicata attenuatus, 2—4 unc. longus, 3—4 lin. crassus, fibrilloso-striatus, fuscello-l. cinereo-albus, apice nudus. Pileus leviter carnosus, e convexo planus, ob-

tusus, 1—4 unc. latus, laevis, glaber; recens udus, piceus, fuligineus l. fumoso-lividus, hygrophanus, siccus nunc pallide lutescens l. isabellinus, nunc griseus; margine primo inflexo, dein patente, pellucide striatulo. Caro tenuis, scissilis, vegeti uda, siccii alba. Lamellæ postice obtusæ (attenuatæ l. rotundatae), annulatim adfixæ cum denticulo in stipitem decurrentes, subdistantes, distinctæ, albæ, dein cinerascentes, tactu nigro-maculatae tandemque nigrescentes. Omnes modificationes notare non licet.

Multa hæc species cum priore habet communia, at eadem vix affinis. Locus systematicus difficilis est, cum cutis stipitis haud cartilaginea, sed uti *A. platypylli* et *A. pulli* membranacea, mollis, quare Collybiae atypicæ, non tamen cum Tricholomatibus jungendæ.

Tab. 62 fig. 1. Formam communem *Agarici semitalis* adumbrat.

CXVI. AGARICUS STRIDULUS FR.

Fr. Epicr. p. 85. Monogr. I. p. 152.

Diagn. Collybia pileo carnoso, molli, e convexo explanato, laevi, hygrophano, carne aquosa inferne corneo-grisea; stipite fistuloso, rigido, fragili, fibroso-striato, livido-fusco, basi incrassato; lamellis sinuato-adnexis, latis, confertis, candidis.

Ad terram graminosam locis apricis in pineto-montanis passim. Lectus in Smolandia, circa Upsaliam etc.

Deser. Solitarius l. gregarius, inodorus. Stipes mox fistulosus, corneus, gracilis, strictus, 3 unc. longus, 1—2 lin. crassus, teres, aequalis, basi modo leviter incrassatus, subradicans, fibrilloso-striatus, primo atrofuscus, dein fusco-lividus, apice nudus. Pileus carnosus, butyraceo-mollis, e convexo explanatus, subumbonatus, unciam l. parum ultra latus, uodus subviscidus, nigricanti-fuligineus, dein fuligineo-lividus. Caro sat crassa, sed mollis, e fusco albicans. La-

mellae adnexae, postice horizontaliter et late emarginatae, confertae, latae, candidae.

Quoad affinitatem ambigit inter *A. (Trichol.) melaleucum* et *Agaricus butyraceos* (principue *A. asemum*). Ab illo differt stipite gracili, corneo; ab hoc lamellis latis, adnexis etc. In speciebus *Ag. butyraceo* affinibus stipes cartilagineo-corticatus et a basi attenuatus.

Agaricus pullus Epicr. p. 85 nonnullas notas cum priore habet communes, at speciem sistit distinctissimam, nobilissimam; praeter alias differentias distinguitur cute stipitis membranacea, lamellis transverse pellucido-striatis. Ceterum truncigenus et vulgo cæspitosus.

Tab. 62 fig. 2. *Agar. stridulum* representat.

COLLYBIAE GENUINAE.

A precedentibus Tricholomoideis differunt stipite gracili, aequali, radicato, laevi; a Tephrophanis colore laetiore, lamellis numquam cinereis vel fuligineis.

CXVII. AGARICUS DISTORTUS FR.

Epicr. p. 84. Monogr. I. p. 150.

Diagn. Collybia pileo carnoso, e convexo expanso, laxo, umbonato, laevi, glabro, expallente; stipite subcavo, a basi ventricosa, tomentosa attenuato, subtorto, pallido; lamellis leviter adnexis, confertissimis, albis, dein rubiginoso-maculatis.

Ad trunco Pini in provinciis Sueciae montanis passim. Upsaliæ rarus. In Anglia legit *Broome*.

Deser. Gregarius. Stipes fragilis, extus cartilagineus, intus spongiosus, mox cavus, 3 unc. longus, vix $\frac{1}{2}$ unc. crassus et e basi tomentosa totus sursum attenuatus, contortus, sulcatus, pallidus. Pileus carnosus, tenuis, convexo-expansus, obtuse umbonatus, 3 unc. fere latus, admodum laxus, 3 unc. fere latus, laevis, glaber, badius, expallens, at non hygrophanus. Lamellæ leviter adnexæ, confertæ, lineares, vix serrulatae, albæ, demum rubiginoso-maculatae.

Species nobilis, media inter *Ag. fusipedem* et *Ag. butyraceum* at ab utroque abunde distinctus.

Unica species, cum qua confundi potest est *Ag. loripes* Epicr. p. 83; hujus vero stipes tortuosus, mollis, pileus fragilis, obtusus, lamellæ admodum latae, haud maculatae. Ceterum valde cæspitosus, in arboribus frondosis tantum obvius.

Ag. maculatus quibusdam characteribus, v. c. lamellis rubiginoso-maculatis *A. distorto* accedit, sed praeter colorem longius distat pileo compacto haud laxo, non expallente, sed senio rubente, stipite valido, præmorse radicato. Hujus iconem sistit *Sowerb.* t. 246, unde nostram iconem magis speciosam omisimus.

Agaricus fusipes BULL., in Europa, australi et media vulgaris, in provinciis montanis, mediis et borealibus desideratur et ab *A. distorto* videtur substitutus.

Tab. 63 fig. 1. *Ag. distortum* depingit.

CXVIII. AGARICUS XYLOPHILUS FR.

Fr. Monogr. II. p. 289. Vet. Akad. Förh. 1861.

Diagn. Collybia pileo subcarnoso, campanulato, laxo, dein expanso, late gibbo, glabro; stipite cavo, aequali, subflexuoso, fibrilloso-striato, albido; lamellis adnatis, perangustis, confertissimis, albis.

In Ulmis vetustis, cariosis in horto Botanico Upsaliensi lœte viguit sero Novembri.

Descr. Species admodum nobilis, vulgo dense cæspitosa. Stipites cavi, 2—3 unc. longi, 3 lin. crassi, aequales at saepe flexuosi, fibrilloso-striati, albidi, intus fuscescentes. Pilei leviter carnosii, ampli, campanulati, prolixii, 3 unc. usque lati (explanati usque 4 unc.), vulgo obtusi, interdum vero umbone minuto prædicti, et magis expansi late gibbi, glabri, albidi l. medio fuscescenti-alutacei. Magis expansi marginem versus rimose fissi. Caro ubique tenuissima, fragilis, fuscescenti-aquosa. Lamellæ adnatæ, denticulo saepe decurrente,

angustissimæ, lineam tantum latae, confertissimæ, acie integra.

Agaricus ramosus Bull. t. 102 eadem statione gaudens, admodum distinctus pileo e convexo explanato, demum depresso, stipite fareto, lamellis leviter adnexis. Major adesse videtur affinitas cum *Ag. confluente* ob lamellas angustissimas et confertissimas, ut vix comparari possint. Ceterum haec species e margine vix inflexo Mycenis accedit.

Agaricus xylophilus Weinm. in Linn., cuius unicum simplex specimen, semel in trunco abiegno lectum, est species dubia et seponenda. Descriptio incompleta (v. c. lamellarum) et contradictoria (v. c. pileus in diagnosi firmus et in descriptione fragilis dictus), sed specimen mecum communicatum habitu nostro ita accedit, ut distinguere non ausus sim.

Tab. 63 fig. 2. *Ag. xylophilum* optimum sistit.

Agaricus strumosus, albus, pileo tenui convexo irregulare glabro, margine primo inflexo villosu; stipite cavo aequali flexuoso crispato-undulato, lamellis secedentibus con-

fertis integerrimis Fr. Epicr. p. 86, in pinetis muscosis nascens, hujus loci, at deest icon speciei distinctissimæ.

CXIX. AGARICUS INGRATUS SCHUM.

Schum. Saell. II. p. 304. Syst. Myc. I. p. 123. Monogr. I. p. 156. Berk. Outl. p. 116.

Diagn. Collybia pileo subcarnoso, e globoso campanulato, dein convexo, umbonato, lœvi, stipite fistuloso, torto, subcompresso, albopulverulento, deorsum umbrino; lamellis liberis, linearibus, confertis, pallidis.

Loci humidiusculis silvarum rarer species. In Selandia detexit SCHUMACHER, cujus iconem exhibemus. In Anglia legit BERKLEY. Ipse legi ad Femsjö formam tertia parte minorem.

Descr. Cæspitosus, tenax, odore mucido. Stipites cartilaginei, fistulosi, 2—3 unc. longi, 2—3 lin. crassi vel comprimento latiores, tortiles l. flexuosi, fuscescentes, demum umbrini, superne l. undique albofarinacei; intus ad latera villosi. Pileus leviter carnosus, latus, e globoso campanulatus expansusque, umbonatus, 1½ unc. latus, lœvis, glaber,

colore sordido alutaceo-fusco. Lamellæ liberae, sed approximatæ, valde confertæ et angustæ, integerrimæ, pallidæ.

In forma minore stipes 1½ unc. longus, lineam modo crassus, undique pulvulentus, extus intusque pileo concolor, non rufescens. Pileus e convexo planus, uncialis.

Affinitas hujus speciei manifesta cum *Ag. confluente*, licet habitus sit sat diversus. Dignoscitur insuper stipitis fuscescenis, torti indumento haud floccoso, pileo alutaceo-fusco, lamellis angustis quidem at leviter ventricosis nec a stipite remotis. *Ag. confluentis* icon sat bona in PERS. ic. pict. t. 5, f. 2.

Tab. 64 fig. 1. Sistit *Agar. ingrati* formam majorem.

CXX. AGARICUS ACERVATUS FR.

Syst. Myc. I. p. 122. Epicr. p. 92. Monogr. I. p. 160. Berkl. Outl. p. 119.
Agar. erythropus γ. Alb. et Schwein. p. 184.

Diagn. Cæspitosus pileo carnosulo, e convexo plano, glabro, hygrophano, margine striatulo; stipite fistuloso, æquali, glabro, rufo, basi radicato tomentoso; lamellis liberis, linearibus, confertissimis, albido-incarnatis.

Ad basin truncorum Pini silvestris per plurimas Europæ regiones, multis locis copiose.

Descr. Cæspitoso-fasciculatus, stipitibus numerosissimis, stipatis, basi coalitis et albo-tomentosis. Singuli stipites eximie fistulosi, rigido-fragiles, 2—4 unc. longi, 1—2 lin. crassi, sursum leviter attenuati, raro compressi, basi excepta glaberrimi, læves, rufi, interdum brunnei. Pilei leviter carnosí, convexi, dein explanati, obtusi l. demum gibbi, 2—3 unc. lati, udi incarnati, siccii albidi, margine primo involuto, demum explanato, striatulo. Lamellæ primo adnexæ, mox

liberæ, confertissimæ, perangustæ, lineares, ex incarnato albidæ.

Ab omnibus e stirpe *Ag. confluentis* distinctus vegetazione maxime cæspitosa, stipitibus numerosis basi connatis et basi tomentosa excepta *glabris*, lamellis semper approximatis. *Ag. confluens* stricte non est cæspitosus, licet plura individua Mycelio expanso juncta, stipites ubique floccosopulverulentæ, lamellis demum remotis.

Primo obtutu *Marasmio erytropodi* similis, cum quo ALBERTINI et SCHWEIN. conjunxerunt, hic vero aridus est et lamellis latis laxis mox distinctus.

Tab. 64 fig. 2. *Agarici acereati* formam minorem repræsentat.

CXXI. AGARICUS NITELLINUS FR.

Epicr. p. 80. Monogr. I. p. 142.

Diagn. Collybia pileo submembranaceo, e convexo explanato, lævi, nitido, hygrophano; stipite subtiliter fistuloso, æquali, rigido, glabro, fulvo; lamellis adnatis, tenuibus, subconfertis, albo-pallescensibus.

Ad margines graminosas viarum in pinetis. Quotannis frequens in silva Kongsparken prope Upsaliam.

Descr. Solitarius l. gregarius, inodorus. Stipes e farcto fistulosus 2—3 unc. longus, 1½ lin. crassus, æqualis at sœpe flexuosus, glaber, striatulus, ferrugineo-fulvus, siccus luteus, basi sœpe villosa radicans; rarius apice pruinosis. Pileus submembranaceus, convexo-planus, obtusus, 1—1½ unc. latus, glaber, accuratius lustratus subrugulosus, uodus fulvus l. testaceo-fulvus, pellucido-striatus, siccus subalutaceus. Caro tenuis, concolor. Lamellæ adnatæ, postice obtusissimæ et

antice æqualiter attenuatæ, haud admodum conferta, angustæ, integerrimæ, albidæ.

Species hæc pulchella, distinctissima a præcedentibus longe distat. Habitu *Ag. laccati* et stipite intus fibroso ad Clitocybas accedit, quibus olim adscriptus, at stipite polito, nitido melius ad Collybias referendus, confirmante sequente unica vere affini.

Exstat quoque varietas minor stipite vix unciali, pileo ½ unc. lato, pileo umbonato. Neutram extra Sueciam lectam novi — nec *Marasmium chordalem*. Utraque species tam nobilis ut haud facile prætervideatur si obviam venisset.

Tab. 65 fig. 1. Adumbrat *Agar. nitellini* formam majorem; fig. 2 minorem.

Agaricus nummularius LAMARK, Bull. t. 56, Epicr. p. 91 est species mihi dubia nec obvia. Ni fallor præcedenti affi-

nis. Sedulo inquirendum an variæ dubie subjunctæ species distinctæ.

CXXII. AGARICUS SUCCINEUS FR.

Epicr. p. 91. Monogr. I. p. 162.

Diagn. Collybia pileo subcarnoso, e convexo expanso demumque subdepresso, lœvi stipiteque fistuloso, æquali, rufo glaberrimis; lamellis obtuse adnatis, latis, crassiusculis subdistantibus, serrulatis, albidis.

Locis graminosis in silvis. Ad Femsjö Smolandiae legi in fagetis, in Suecia media vero in pinetis, at rarior species.

Descr. Solitarius, inodorus. Stipes fistulosus, tenax, 1—2 unc. longus, 1—2 lin. crassus, æqualis l. basi attenuatus et arrizus, lœvis, undique glaber, politus, rufobrunneus l. rufescens-pallescens. Pileus tenuis, subcarnosus, e convexo explanatus, obtusus, demum depresso et inæqualis, siccus saepe rimose fissus, unciam latus, lœvis, glaber, rufus l. bruneo-fuscus, expallens. Lamellæ adnatae, postice obtusæ, minus confertæ, valde latae, crassiusculæ, pallescenti-albæ, acie serrulata.

Unica species affinis est *Ag. nitellinus*, at clare distinctus e descriptionibus supra datis. E Germania missus sub nomine *Ag. dryophili*, a quo vero lamellis latis, crassiusculis, minus confertis facilime dignoscitur. *Ag. xanthopus* differt statura, pileo e campanulato expanso laxo, lamellis fere liberis, integerrimis.

Ag. melleus SCHLEFF. t. 45 inter hunc et *Ag. aquosum* ambigit, sed dicitur lignatilis, at terrestris pictus. Variis vero locis Schæfferum vidimus e memoria loca natalia erronee indicasse; sic *Polyporum confluentem* dixit truncigenum, e contrario *Ag. corticatum* (SCHLEFF. t. 225) terrestrem.

Tab. 65 fig. 3. *Ag. succineum* typicum spectat.

CXXIII. AGARICUS MACILENTUS FR.

Syst. Myc. I. p. 131. Epicr. p. 93. Monogr. I. p. 166. Weinm. Ross. p. 77.

Diagn. Collybia pileo carnosulo, planiusculo, obtuso, lœvi, glabro; stipite subtiliter fistuloso, tenaci, nudo, radicato lamellisque secedenti-liberis, confertis, linearibus, luteis.

In pinetis montosis supra acus perraro legimus in Smolandia et Uplandia. In Rossia legit WEINMAN.

Descr. Species pumila, ariia, inodora. Stipes obsolete fistulosus, cartilagineus, tenax, 1—1½ unc. longus, lineam vix crassus, æqualis, filiformis, passim flexuosus, glaber, haud pulverulentus, lœte flavus, basi leviter radicatus. Pileus carnosulus, orbicularis, e convexo applanatus absque umbone et umbilico, unciam vix latus, siccus, obscure luteus. Caro lenta, tenuis, lutea. Lamellæ secedenti-liberæ, confertissimæ, angustæ, lineares, valde inæquales, eleganter et pure luteæ.

Statura omnino *Ag. myosuri*, sed color *Ag. cerini*, quare cum hujus formis pumilis facile commutatur. Hic vero differt stipite farcto, toto fibroso nec cartilagineo extusque fibrilloso-striato, pileo demum depresso, sordide luteo, *carne alba*, lamellis latioribus et in formis minutis adnatis.

In omnibus Collybiis stipes normaliter fistulosus (licet in nonnullis primo farctus), at dupli diversa et stricte definita ratione. In aliis tubulus sat amplus, sine medulla; in aliis in stipite medulla farcto subtissimus ut primo obtutu non facile observetur. Hic character maximi momenti et in aliis Agaricorum subgeneribus raro observatus.

Tab. 66 fig. 1. *Ag. macilentum* spectat.

CXXIV. AGARICUS AQUOSUS BULL.?

Bull. t. 12 ? Fr. Epicr. p. 93. Monogr. I. p. 163. Sommerf. Lapp. p. 284. Seer. Helv. n. 737.

Diagn. Collybia pileo carnosomo-membranaceo, mox plano, obtuso, margine striatulo, stipiteque farcto, æquali, glabro melleis; lamellis adnexis, mox liberis, confertissimis, linearibus, albidis.

Locis humidis, muscosis silvarum, rarer species, sed in variis regionibus lecta. Formam optimam legi in silva ad Sunnerstad prope Upsaliam.

Descr. Totonus fungus aquosus, melleus, siccitate admodum expallens, inodorus. Stipes farctus, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ unc. longus, lineam crassus, æqualis, passim flexuosus l. leviter undula-

tus, ceterum politus, glaber nec apice pulverulentus. Pileus tenuis, tenax, mox planus, obtusus, orbicularis, melleus, margine dense striatulo. Lamellæ ut supra, integerrimæ.

Aliam in Smolandia legi formam magis habitu, quam characteribus diversam et *Ag. dryophilo* accedentem, a qua forma typica haud parum recedit. Differt stipite fistuloso, basi flocculoso, siccitate fulvello. Hanc formam sistit Bullardi icon, quare novam dedimus formæ typicæ.

Tab. 66 fig. 2 depingit *Ag. mellei* formam typicam.

CXXV. AGARICUS EXSCULPTUS FR.

Epicr. p. 93. Monogr. I. p. 162. Cooke Brit. Fung. p. 59.

Diagn. Collybia pileo carnosulo, tenaci, e convexo expanso, umbilicato, immutabili stipiteque fistuloso, tenui, incurvo glabris; lamellis subliberis, arcuatis, confertissimis, angustis sulfureis.

Ad ligna vetusta, indurata Quercus raro. Legimus in Smolandia, in Britannia BROOME.

Descr. Proteo *Ag. dryophilo* affinis, sed stipes minus fistulosus, brevis, uncialis, vulgo incurvus, lète sulfureus; pileus convexus, vere umbilicatus, 1—2 unc. latus, fulvo-brunneus nec expallens; lamellæ confertissimæ, lineares, lète sulfureæ. Tenacitate præcipue insignis.

Tab. 66 fig. 3. *Ag. exsculptum* offert.

CXXVI. AGARICUS EXTUBERANS FR.

Epicr. p. 93. Monogr. I. p. 164.

Bulla extuberans. Batt. t. 28. f. 1. bona! at non fucata.

Diagn. Collybia pileo carnosulo, campanulato expanso, laevi, umbone lato protuberante; stipite tenui, fistuloso, radicato, glabro, pallido; lamellis attenuato-adnexis, confertis, angustis, albis.

Ad terram, juxta truncos et ad ligna putrida hinc indarior et sporadice obvius.

Descr. Solitarius, tenax, inodorus. Stipes fistulosus, sed in firmioribus etiam farctus, radicatus, 2—3 unc. longus, 1—2 lin. crassus, æqualis, strictus l. leviter flexuosus, laevis, glaber, haud pulverulentus, albidos. Pileus e campanulato expansus, umbone lato protuberante, orbicularis, 1— $1\frac{1}{2}$ unc. latus, glaber, laevis non hygrophanus, rufo-fuscus, badius l.

umbrinus, circa marginem primo incurvum pallidior. Caro alba. Lamellæ attenuato-adnatæ, secedentes liberæ apparent, confertæ, 1—2 lin. latæ, albidae.

Affinitas hujus speciei ægre indicatur; quoad staturam cum *Ag. protracto* comparanda, sed ab omnibus recedit umbone grandi, tuberculiformi. *Ag. melleus* Seer. cum nostro convenit, sed *Ag. melleus* Schæfferi longe distare videtur. Melius convenit *Ag. ocior* PERS. et optime figura Battaræ supra citata.

Tab. 67 fig. 1. Formas majores et minores *Ag. extuberantis* ante oculos ponit.

CXXVII. AGARICUS MYOSURUS FR.

Syst. Myc. I. p. 132. Monogr. p. 158. Wahlenb. Suec. n. 1904. Seer. n. 653.

Diagn. Collybia pileo carnosulo, orbiculari, planiusculo, obtuso, glabro, lèvi, rufo; stipite subtiliter fistuloso, radicato, æquali, rufescente, apice albo-pulverulento; lamellis liberis, linearibus, confertissimis, albis.

Frequens ad terram in pinetis Sueciae Lapponiam usque. Etiam in Rossia, Germania, Helvetia lectus.

Descr. Stipes cartilagineus, tenax, subtiliter fistulosus, filiformis, uncialis, sed radice aequa longa, vulgo *glabra* auc-

tus, apice albo-pulverulentus, ceterum glaber. Pileus leviter carnosus, tenax, primo convexus, at mox appanatus, orbicularis, $\frac{1}{2}$ unc. et ultra latus, obtusus, lèvis, glaber, siccus, plus minus rufus. Lamellæ liberæ, admodum confertæ, planæ, quaternatæ, albae. Exstat var. pileo rufolivido, pileo subumbonato, *Ag. conigeno* accedens.

Tab. 65 fig. 4. imaginem *A. myosuri* præbet.

CXXVIII. AGARICUS CONIGENUS PERS.

Pers. syn. p. 388. Syst. Myc. I. p. 152. Monogr. I. p. 158. Berkt., Weinm., Seer. etc. — Buxb. I. t. 67 fig. 2.

Diagn. Collybia pileo carnosulo, planiusculo, inæquali, subumbonato, glabro, expallente; stipite subtiliter fistuloso, tenaci, pulverulento, pallescente, radice strigoso-fibrillosa; lamellis liberis, confertissimis, pallescentibus.

In pinetis ad conos Pini et præcipue Abietis Europæ totius vulgaris; plerunque gregarius.

Descr. Stipes cartilagineus, subtiliter fistulosus, tenax, nunc uncialis, nunc ad 2—3 unc. elongatus, totus filiformis, pileo concolor, undique primitus pulverulentus, demum vero subnudus, basi cauda strigosa radicatus. Pileus leviter carnosus, firmulus, e convexo planus, subumbonatus, versifor-

mis, sœpe angulatus etiam depresso, $\frac{1}{2}$ —1 unc. latus, glaber, colore admodum varius, e testaceo-gilvo lividus, immo griseus et albicans, udus margine striatus. Lamellæ prioris, at pallescentes.

Ag. myosuro maxime affinis, ut fingeres varietatem c loco personatam. Interea habitu et pluribus differunt notis. Vulgatae speciei deest icon excepta rudi haud fucata *Buxbaumii*.

Tab. 67 fig. 3. *Ag. conigenum* proponit.

CXXIX. AGARICUS CIRRHATUS PERS.—SCHUM.

Schum. Saell. n. 1793. Epier. p. 89. Monogr. I. p. 159 et plur. Auct. recent.

Ag. tuberosus v. *cirrhatus*. *Pers. syn. p. 374.*

Diagn. Collybia pileo carnosulo, plano, sericello, demum umbilicato, stipite subfistuloso, æquali, pulvlerulento, radice torta fibrillosa; lamellis adnatis, confertis, angustis, albis.

Ubique inter muscos, quisquiliis et in fungis putridis catervatim nascens.

Descr. Quoad magnitudinem et staturam maxime varius, at semper pusillus, tenax, albidus sœpe rufescens. Stipes subtiliter fistulosus, ut tubus centralis sœpe ægre conspiacit, 1—2 unc. longus, filiformis, sœpe flexuosus, pallidus, albo-pulverulentus, cauda torta, fibrillosa radicatus. Pileus leviter carnosus, e conico-convexo planus; medio demum umbilicato-depresso, rufescens sœpe cum mammilla

centrali; a magnitudine aciculæ expanditur in 5—6 linearum latitudinem, *sericellus*, demum subtilissime et sœpe concentrice rivulosus, albus, opacus. Lamellæ adnatæ, quo hic a duobus præcedentibus clare differt, confertæ, lineares, perangustæ, valde inæquales, albæ.

Cum duobus præcedentibus, *Ag. tuberoso* et *racemoso* stirpem sistit distinctissimam, a sequentibus stipite pulvlerulento etc. facillime distinctam. Præcipue cavendum ne *Ag. ocellatus* cum *Ag. cirrhato* confundatur.

Tab. 68 fig. 1 sistit *Ag. cirrhatum*.

CXXX. AGARICUS MICHELIANUS FR.

Fr. Obs. II. p. 146. Epicr. p. 94. Monogr. I. p. 168. Seer. p. 747 a. Mich. gen. t. 79, f. 3.

Diagn. Collybia candida, pileo submembranaceo, convexoplano, obtuso, glabro, margine striatulo; stipite farcto, firme, stricto, nudo, basi subincrassato; lamellis adnexis, confertis, angustis.

In radicibus graminum seriatim, at rarer species.

Parvus, gregarius l. potius seriatim nascens, totus candidus. Stipes obsolete fistulosus, uncialis, lineam fere crassus, firmulus, strictus, aequalis, nudus (numquam pulverulentus), glaber, excepta basi villosa. Pileus carnosulus, sed

admodum tenuis, tenax, e convexo planus, obtusus, $\frac{1}{2}$ unc. latus, glaber, uodus margine striatulus. Lamellæ adnexæ, confertæ, angustæ, integerrimæ, constanter albæ.

Hic cum duobus sequentibus, *Ag. florido* pulcherrimo et *ocellato* peculiarem sistunt stirpem stipite nudo aliisque notis a praecedentibus distinctam.

Tab. 68 fig. 2. *Ag. Michelianum* representat.

CXXXI. AGARICUS MUSCIGENUS SCHUM.

Schum. Saell. 2. p. 307. Fr. Syst. I. p. 145. Monogr. I. p. 168. Fl. Dan. t. 2023. f. 1. Weinm. Seer. Mich. t. 73, f. 4.

Diagn. Collybia candida, pileo submembranaceo, convexo-plano, obtuso, laevi, glabro; stipite farcto, setaceo, flaccido, nudo; lamellis adnatis, subconfertis, linearibus.

Inter muscos, præcipue ad basin truncorum.

Descr. Stipes ob tenuitatem farctus appetet, uncialis et ultra, capillaris, flacidus, saepe flexuosus, glaber et nudus, basi subradicans. Pileus submembranaceus, e globoso hemisphæricus explanatusque, obtusus, 2—3 lin. latus, pellucidus,

laevis, glaber, marcescens, margine integro persistente et numquam revoluto. Lamellæ adnatæ, subconfertæ, lineares, alternae breviores, acie integerrima.

Unica species cum qua confundi posset est *Ag. mycena capillaris*, diversa lamellis latioribus, distantibus. Spatio vacuo novam dedi iconem comparationis gratia cum proximis.

Tab. 68 fig. 3. *Ag. muscigenum* adumbrat.

CXXXII. AGARICUS LUDIUS FR.

Fr. Epicr. p. 44. Monogr. I. p. 169.

Diagn. Collybia candida, pileo membranaceo, tenacello, e convexo plano, subumbonato, dein revoluto undulato-diformi, lobatoque; stipite fistuloso, capillari, nudo, radice repente fibrillosa; lamellis adnexis, linearibus, subdistantibus.

Inter ramenta lignea, serraginem in horto olim legi. Nuperius inter muscos in pinetis.

Descr. Valde gregarius et fasciculatus, mycelio fibrilloso albo intra matricem late repente, totus lacteus. Stipes angustissime fistulosus, (tubulo non nisi lente conspicuo); un-

cialis et ultra, capillaris l. complanatus lineam latus, glaber, tenax, flacidus, saepe ascendens et tortus. Pileus membranaceus, primitus convexus margine involuto, obtusus, dein expansus et revolutus, maxime undulato-diformis, subumbonatus, laevis, glaber, non hygrophanus. Lamellæ attenuato-adnexæ, subdistantes, tenellæ, immixtis paucis dimidiatis. Exstat varietas major, pileo carnosulo, umbonato.

Tab. 68 fig. 4 ad *Ag. ludium* pertinet.

COLLYBIAE TEPHROPHANAE.

Colore obscuro, lamellis griseis l. fuligineis distinctæ.

* *Graveolentes.*

CXXXIII. AGARICUS RANCIDUS FR.

Syst. Myc. I. p. 141. Epicr. p. 95. Monogr. I. p. 170. Weinm. Ross. p. 104. Secret. n. 656.

Diagn. Collybia graveolens, pileo carnosulo, e convexo piano, umbonato, lœvi, tenaci, indumento sericello albido irrorato; stipite fistuloso, stricto, rigido, radicato, glabro lamellisque liberis, confertis, angustis, cinereis.

In pinetis ad terram per plurimas Sueciæ provincias haud rarus; in Scania quoque lectus in silvis frondosis ad truncos. Ceterum in Rossia, Germania (Wirtgen), Helvetia lectus.

Descr. Odor farinæ recentis fortis, subrancidus. Stipes fistulosus, rigidus, strictus, 3—6 unc. longus, 2 lin. crassus, æqualis, lœvis, glaber, lividus; radice longa, fusiformi, villosa. Pileus cartilagineo-carnosus, tenax, e convexo planus, late et obtuse umbonatus, lœvis, glaber, diu irrigatus viscidulus, 1—2 unc. et ultra latus, plumbeo-niger, fuligineus, expallens at non hygrophanus, primitus rore sericello-pruinoso velatus.

Lamellæ liberæ, confertæ, angustæ at ventricosæ, obscure cinereæ, subpruinosaæ.

Singularis hujus varietas *bullata*, stipite 2 unc. longo, radice brevi, pileo bullato, repando, 2½ unc. lato, circa umbonem depresso et extra hunc jugo elevato cincto, nitido, ferme nigro; lamellis linearibus, venosis et venis connexis, fuligineis, albopruinosis inter typicum passim occurrit. Cum sequente non commutandus.

Nobilis hæc species sistit typum peculiaris stirpis odore facile recognoscendæ. Ad hanc stirpem etiam pertinet *Ag. putidus*, sed stipite nullo modo cartilagineo-corticato, sed fibroso-molli, quare optima Tricholomatis species. Odor *Ag. inolentis* minus fortis, sæpe obsoletus, at sine dubio ad Rancidorum stirpem referendus.

Tab. 69 fig. 1. *Ag. rancidi* icon.

CXXXIV. AGARICUS CORACINUS FR.

Epicr. p. 95. Monogr. I. p. 170.

Diagn. Collybia graveolens, pileo carnosulo, convexo-expanso, nudo, hygrophano; stipite cavo, rigido, arrhizo, sursum albo-farinoso, subsquamuloso; lamellis adnexis, secedentibus, vix confertis, latiusculis, albido-griseis.

Locis graminosis silvarum præcedente rarior; plures circa Upsaliam lectus. In Britannia, BERKL.

Descr. Odor farinæ recentis fortis. Stipes cavus, eximie cartilagineus, junior rigidus et tenax, demum fragilis, ut plurimum compressus, difformis (etiam lacunosus obvius) 1½ unc. longus, 2 lin. latus et comprimento latior, sursum subattenuatus et arrhizus, fuscescens, apice squamulis albis farinosus. Pileus subcarnoso-cartilagineus, e convexo expansus, nunc umbonatus, nunc depresso, sæpe difformis et undulatus, 1½ unc. et ultra latus, lœvis vel circa marginem

rugosus, glaber, vegetus fuscus et nitens, exoletus et siccus griseus et opacus. Lamellæ obtuse adnatæ, secedentes, ut sæpe liberae appareant, latæ, vix confertæ, primo distinctæ, dein præcipue in individuis difformibus venoso-connexæ, albido-griseæ.

Singulis partibus a priore differt ut e definitionibus datis apparat. Ab utroque clare differt *Ag. Ozes* Epicr. I. c., etiam graveolens, pileo glabro hygrophano, udo griseo-fusco, siccus argillaceo-fuscescente; stipite laxo arrhizo, fragili, apice pruinoso; lamellis adnatis, subventricosis, fuligineo-olivaceis. Dolemus nobis haud adesse iconem. Lectus est in pinastre-tis Smolandiæ ad Femsjö, sero Octobri.

Tab. 69 fig. 2 ad *Ag. coracinum* pertinet.

CXXXV. AGARICUS INOLENS FR.

Epicr. p. 96. Monogr. I. p. 171. Cooke Brit. Fung. p. 61.

Ag. Zephyrus var. Weinm.! Ross. n. 183.

Diagn. Collybia subolens, pileo carnosulo, e campanulato-convexo expanso, umbonato, glabro, hygrophano, margine striatulo; stipite e farcto fistuloso, rigido, undulato, basi albostrigoso, apice albosquamuloso; lamellis adnexis, secedentibus, confertis, albido-griseis.

In pinetis locisque graminosis campestribus per maximum Europæ partem, at minus frequens; Upsaliæ vero copiose v. c. ad pedes montium Gottsundensium.

Descr. Stipes rigidus, subtiliter fistulosus, demum vero mollier et cavus, 2—3 unc. longus, 1—1½ lin. crassus et comprimendo latior, æqualis, in superficie undulatus, lividus, siccus pallescens, basi albostrigosus apiceque albo-squamulosus. Pileus carnosulus nec ita cartilagineus ut priorum, e campanulato convexus planusque, ut plurimum obtuse et late umbonatus, 1—2 unc. latus, glaberrimus, hygrophanus, udus lividus, siccus albo-pallescens facie sericella at opacus,

margine primo inflexo, dein expanso striato, rarius simul undulato. Lamellæ adfixæ, secedentes, 1—2 lin. latae, subimbricatae, albido-griseæ.

Inter Collybias rancidas restat *Ag. mephiticus*, species nobilissima, statura a reliquis prorsus recedens. Stipes obsolete fistulosus, filiformis, flaccidus, cinereus, undique floccis albis pruinato-velutinus. Pileus carnosulus, convexo-planus, ¼—⅓ unc. latus, adpresso et laevigato-sericeus, cano-albescens. Lamellæ primo adfixæ, dein subliberæ, confertæ, albidae. Odor farinæ recentis, admodum fortis. Nascitur supra ramulos et folia Abietis, una vice, at copiosissime lectus.

Singularem *Ag. inolentis* varietatem paulo majorem pileo umbonato ex Ostrogothia misit v. Post. Desunt notæ sufficietes ad hanc specie distinguendam. Cfr. t. 69. f. 4.

Tab. 69 fig. 3. *Ag. inolentem* sistit.

** *Inodoræ.*

CXXXVI. AGARICUS PROTRACTUS FR.

Epicr. p. 97. Monogr. I. p. 173. Cooke Brit. Fung. p. 62.

Diagn. Collybia pileo submembranaceo, e convexo plano nitido; disco carnosulo, depresso, subpapillato, obscuriore, margine striato; stipite fistuloso, laevi, glabro, griseo radice longa fibrilloso-strigosa; lamellis adnexis, ventricosis, latissimis, griseis, subtiliter albo-pruinosæ.

Ad terram in pinetis circa Upsaliam rarius. Etiam in Britannia, teste BERKLEY, lectus.

Descr. Inodorus. Stipes subtiliter fistulosus, eximie cartilagineus, sed demum mollis, supra terram 3 unc. longus, 1 lin. crassus, strictus, laevis, glaber (haud pulverulentus) livido-griseus, infra terram productus in radicem deorsum attenuatam, fibroso-strigosam. Pileus submembranaceus, e convexo planus, disco carnosulo, depresso saepe cum umbris centralis rudimento, vix unciam latus, griseo-fuscus, ni-

tens, margine dilutiore manifeste striato. Lamellæ adnexæ, maxime ventricosæ, postice quasi truncatae, 3 lin. et ultra latæ, subdistantes, griseæ, subtiliter albo-pruinosæ.

Species insignis, admodum distincta vix cum alia comparanda praeter *Ag. protuberantem*. Remotior adest affinitas cum *Ag. plexipede*, sed hujus stipes brevior, firmior, e fibrillis implexis, arce adpressis sericeo-fibrosus, quo ab omnibus differt. Pileus insuper campanulatus, fere Mycenæ; lamellæ liberae. Hæc species nascitur in fagetis circa truncos; etiam in Britannia lecta, teste COOK, Br. Fung. p. 61. Dolendum hujus nullam existere bonam iconem; *Floræ Dan. t. 2023, f. 2* nullo modo characteristicæ.

Tab. 67 fig. 2. *Ag. protractum* illustrat.

CXXXVII. AGARICUS TESQUORUM FR.

Monogr. II. p. 290. Vet. Akad. Förhandl. 1861.

Diagn. Collybia pileo carnoso-membranaceo, convexo, obtuso, laevi, fusco-nigro expallente, stipite fistuloso tenui fuscus, apice pruinoso; lamellis liberis, ventricosis, subdistantibus, cinereo-fuscis.

In campis et collibus graminosis apricis circa Upsaliam, v. c. ad arcem regiam, plures lectus.

Deser. Stipes fistulosus, sesquiuncialis, lineam haud attingens, subfiliformis æqualis, flexuosus, glaber, fuscus, apice farinosus. Pileus carnoso-membranaceus, firmulus, convexus, obtusissimus, glaber, exstrius, 3—5 lin. latus, fusco-niger expallens. Lamellæ omnino liberæ, valde ventricosæ, 2 lin. latæ, subdistantes, cinereofuscæ. Odor nullus.

Lamellis liberis, latis hic e proximis facile dignoscitur. Variis notis accedit ad *Ag. murinum*, qui vero multiplo major, stipite fibrilloso nec pruinoso, pileo impolito, lamellis

adnexis facile dignoscitur. Hoc loco addere liceat descriptionem novæ subsimilis speciei:

Ag. (Collybia) glacialis. Dense cæspitosus, subaquosus, fragilis. Stipes fistulosus, a basi attenuatus, 1½—2 unc. longus, 1—2 lin. crassus, glaber, hand pruinosis, aquose griseus. Pileus leviter carnosus, ex hemisphærico convexus, obtusus, ¾—1½ unc. latus, laevis, glaber, hygrophanus, vegetus obscure fuscus, siccus sordide canus. Lamellæ liberæ, confertæ, vix ventricosæ, griseæ. Lectus est in terra congelata ad Bergsbrunna exeunte Aprili et ad Knifsta 5 Maji 1868 *). Externa cæspitis individua frigore congelata, in medio nuper enata vegeta. Fragilitate ab omnibus vicinis differt. Icon desideratur.

Tab. 70 fig. 1. *Ag. tesquorum* spectat.

* E terra congelata ceterum *Agaricum humosum* et *Ag. esculentum* enatos tantum vidimus.

CXXXVIII. AGARICUS MISER FR.

Fr. Vet. Akad. Förhandl. 1861. Monogr. Hymenom. II. p. 290.

Diagn. Collybia pileo carnoso-membranaceo, e convexo piano, subumbonato, glabro, margine striato; stipite fistuloso, æquali, fuscus, apice farinaceo, lamellis adnatis, confertis, cinereis.

Species diu prætervisa, per ultimos annos copiosissime lecta multis locis in Uplandia, Ostrogotia etc. Optime viget Octobri.

Deser. Gregarius, tenax, inodorus. Stipes eximie cartilagineus, admodum fistulosus, 2 unc. l. paulo ultra longus, lineam crassus, saepe leviter flexuosus, laevis, fuscus, apice albo-farinosis. Pileus tenuiter carnosus, e convexo planus, numquam depresso, at saepe umbonatus, unciam vix latus, glaber, udus cinereus, margine striato, siccus vero canus et

laevis. Caro tenuissima, concolor. Lamellæ adnatæ, lineam l. parum ultra latæ, confertæ, vix ventricosæ, cinereæ.

Species clare distincta, haud ignobilis, ut e nomine facile fingas. Inter Collybias potissimum comparandus cum *Ag. eroso*, qui vero totus mollis, valde hygrophanus, pileo lenti-formi-globoso umbilicato, lamellis eximie emarginatis abunde distinctus.

Potius confundi posset cum *Ag. mortuoso*, at hic manifeste Clitocybes species stipite haud cartilagineo, toto fibroso, apice nudo; pileo plano-depresso, umbrino, sicco alutaceo l. rarius fulvello, lamellis angustis, albis.

Tab. 70 fig. 2. *Ag. miserem* depingit.

CXXXIX. AGARICUS ATRATUS FR.

Syst. Myc. I. p. 168. *Epicr.* p. 98. *Monogr.* I. p. 175. *Weinm. Ross.* p. 87. *Berkl. Outl.* p. 120.

Diagn. Collybia pileo carnosulo, plano-depresso, umbiliato, lœvi, glabro, nitente, margine convexo; stipite farcto, tenaci, curto, glabro, extus intusque fusco; lamellis adnatis, latiusculis, griseo-albidis.

Ad terram apricam, nudam in variis Sueciae provinciis sœpe lectus, ut etiam in terris adjacentibus. Serotinus.

Descr. Species pumila, sed firma, inodora. Stipes farctus, demum fistulosus, eximie cartilagineus, tenax, curtus, vix uncialis, 1—2 lin. crassus, æqualis l. sursum incrassatus, lœvis, glaber, extus intusque fuscus. Pileus leviter carnosus, tenax, disco plano-depressus, numquam papillatus, marginem versus convexus, lœvissimus, orbicularis, unciā et ultra latus, diutius irrigatus viscidus, udus piceo-ater et nitens, siccus fuscus. Lamellæ adnatæ, vix decurrentes, primo arcuatae, dein planæ, subdistantes, ex albido griseæ, sordidæ.

Species inter Collybias et Omphalias intermedia; his accedit pileo depresso, sed lamellæ non decurrentes. Affines vero species non inter Collybias, sed Omphalias querendæ v. c. in *Ag. mauro*, facile distincto pileo profunde umbiliato, udo striato, sicco sericeo-nitente, lamellis vere decurrentibus, confertissimis, candidis.

Agaricus atratus locis adustis interdum obvius, at his non stricte adscriptus ut sequens, *Agaricus carbonarius*, *Cantharellus carbonarius*, variæ *Pezizæ* etc. Locis adustis sœpius quoque occurunt *Ag. maurus*, *canobrunneus*, *pennatus*. Statio specierum accurate indicata specierum determinationem maxime sublevat.

Tab. 70 fig. 3. *Ag. atrati* præbet imaginem.

CXL. AGARICUS AMBUSTUS FR.

Syst. Myc. p. 157. *Epicr.* p. 97. *Monogr.* I. p. 175.

Diagn. Collybia pileo submembranaceo, convexo-plano, *papillato*, *striatulo*, hygrophano, stipite subfarcto, tenaci, brevi, livido, lamellis adnatis, confertis, lanceolatis, albo-fuscescentibus.

Ad terram deustum, carbones in Smolandia frequens. Etiam in Germania. LASCH.

Descr. Pusillus, tenax, sœpe gregarius, inodus, totus fuligineus. Stipes farctus, demum fistulosus, vere cartilagineus, strictus, unciā longus, raro ultra, lineam haud crassus, livido-fuscus, junior pruinosus, adultus nudus. Pileus submembranaceus (prioris multo tenuior), e convexo planus, demum depresso, *papilla minuta umbonatus*, uncialis, glaber, primo fuscus et lœvis, dein striatulus fusco-lividus, margine primitus involuto certa Collybiæ species. Lamellæ adnatæ, dente decurrente, confertæ, planæ, angustæ, fuscescentes.


Statione cum priore sœpe convenit, sed, ut e notis datis elucet, certe distincta. Ut prior ad Omphalias hæc ad My-

cenæ accedit. *Ag. anthracophilus* LASCH Linn. IV. n. 534 e descriptione et speciminibus missis ad hunc referendus, sed lamellæ distantes precedentem spectare videntur.

Tab. 70 f. 4. *Ag. ambustum* depingit.

In Musæo Academiae Scientiarum Holmiensis sequentes Collybiae insuper depictæ exstant:

Ag. radicatus, *platyphyllus trivialis*, *maculatus*, *butyraeus*, *asemus*, *velutipes*, *confluens*, *cauticinalis*, *tuberosus*, *race-mosus*, *xanthopus*, *dryophilus*, *tenacellus*, *esculentus stolonifer*, *clavus*, *ocellatus* (Bull. t. 569. f. 1. H. P.) *murinus*, *clusilis*, *tylicolor*. Cum horum jam exstent icones sat bonæ novas censeo superfluas.




AGARICUS (COLLYBIA) PLATYPHYLLUS VAR. REPEUS.FR.

E. Fries. fig.

E. Pettersson del.



AGARICUS (COLLYBIA) SEMITALIS. FR.



AGARICUS (COLLYBIA) STRIDULUS. FR.

E. Fries direx:

P. Åkerlund del.



AGARICUS (COLLYBIA) DISTORTUS. FR.



AGARICUS (COLLYBIA) XYLOPHILUS. FR.

E. Fries dir. ex.

P. Åkerblad del.



AGARICUS (COLLYBIA) INGRATUS. SCHUM.



AGARICUS (COLLYBIA) ACERVATUS. FR.



1 AGARICUS (COLLYBIA) NITELLINUS. FR. 2 EJUSDEM VAR. MINOR. FR.

3 AGARICUS (COLLYBIA) SUCCINEUS. FR. 4 AGARICUS (COLLYBIA) MYOSURUS. FR.

E. Fries dir. ex.

E. Pettersson & P. Åkerblad del.

Lith. o. tr. h. Schlachter & Seedorff, Stockh.



1 AGARICUS (COLLYBIA) MACILENTUS. FR. 2 AGARICUS (COLLYBIA) AQUOSUS. FR.
3 AGARICUS (COLLYBIA) EXSCULPTUS. FR.

E.Fries dir. ex.

E.Pettersson & P. Åkerblad del.



1. AGARICUS (COLLYBIA) EXTUBERANS. FR. 2. AGARICUS (COLLYBIA) PROTRACTUS. FR.
 3. AGARICUS (COLLYBIA) CONIGENUS. PERS.

E. Fries direx.

Lith. o. tr. h. Schlachter & Seedorff, Stockh.

E. Pettersson & P. Åkerlund del.



1.



2.

3.



4.

1. *AGARICUS (COLLYBIA) CIRRHATUS*. FR. 2. *AGARICUS (COLLYBIA) MICHELIANUS*. FR.
3. *AGARICUS (COLLYBIA) MUSCIGENUS*. SCHUM. 4. *AGARICUS (COLLYBIA) LUDIUS*. FR.



1. AGARICUS (COLLYBIA) RANCIDUS. FR. 2. AGARICUS (COLLYBIA) CORACINUS. FR.
3. INOLENS VAR. UMBONATA. 4. AGARICUS (COLLYBIA) INOLENS. FR.

E. Fries direx.

E. Pettersson & P. Åkerlund del.




1. AGARICUS (COLLYBIA) ATRATUS. FR. 2. AGARICUS (COLLYBIA) AMBUSTUS. FR.
3. AGARICUS (COLLYBIA) TESQUORUM. FR. 4. AGARICUS (COLLYBIA) MISER. FR.

E. Fries' direx.

E. Peffersson & P. Åkerlund del.

Lith. o. tr. h. Schlachter & Seedorff, Stockh.



61. *Agaricus* (*Collybia*) *platyphyllus*, v. *repens*. Fr.
62 a. " " *semitalis*. Fr.
b. " " *stridulus*. Fr.
63 a. " " *distortus*. Fr.
b. " " *xylophilus*. Weinm? Fr.
64 a. " " *ingratus*. Schum.
b. " " *acervatus*. Fr.
65 a. " " *nitellinus*. Fr.
b. " " *succinus*. Fr.
c. " " *myosurus*. Fr.
66 a. " " *aquosus*. (Bull?) Fr.
b. " " *exsculptus*. Fr.
c. " " *macilentus*. Fr.
67 a. " " *extuberans*. Fr.
b. " " *protractus*. Fr.
c. " " *conigenus*. P.
68 a. " " *cirrhatus*. Fr.
b. " " *Michelianus*. Fr.
c. " " *muscigenus*. Fr.
d. " " *Iudius*. Fr.
69 a. " " *raneidus*. Fr.
b. " " *coracinus*. Fr.
c. " " *inolens*. Fr.
70 a. " " *atratus*. Fr.
b. " " *ambustus*. Fr.
c. " " *tesquorum*. Fr.
d. " " *miser*. Fr.